



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Canonicorum Regularium Ordinis S. Augustini Origines ac
Progressus, Per Italiam, Hispaniam, Galliam, Germaniam,
Belgium, aliasque orbis Christiani prouincias**

Le Mire, Aubert

Coloniae Agrippinae, 1614

Iacobi Vitriaci Cardinalis & Episcopi Aconensis testimonium de Canonicis
Regularibus, iuxta Bononiam.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11321

S. Petri Damiani regulam à Canonicis Rhenanis susceptã, Olinarius eiusdem monasterij olim Canonicus, & tũc sub Innocentio II. Cardinalis, monasteriũ ac templũ, in honorẽ Saluatoris IESU Christi, à fundamentis excitauit: ac præsertim in memoriam miraculi, q̃ in Beryto Syriæ vrbe contigit, cùm ex Christi icone, seu imagine à Iudæis transfixa sanguis & aqua profluxit, quibus perfusi cæci, paralitici, alijq; infirmi mox sanitatem sunt consecuti. Refert hoc miraculum S. Athanasius in secunda Synodo Nicæna, Actio. 4. Sanguis istius miraculosi ampullam, Pisis ab Innocentio II. Papa dono acceptam, Olinarius Cardinalis Bononiam transtulit, & in nouo templo S. Saluatoris à se ædificato collocauit.

IACOBI VITRIACI CARDINALIS
 & Episcopi Aconensis testimonium de Canonicis
 Regularibus, iuxta Bononiam.

EST alia Regularium Canonicorum Deo grata, & hominibus gratiosa Congregatio extra ciuitatem *Bononia*, non longè ab ea, in castris æterni Regis militantium, & eidem sub vnus maioris obedientia, in feruore spiritus, & mentis excessu, tam deuotè quàm humiliter feruentiũ. Hi siquidẽ adeò expediti post Dominum currunt, & nudi nudũ sequuntur, quòd oẽm exteriorum curã & temporalium possessionem à se penitùs reiecerunt, omnia transi-

trāsitoria tanquā stercora reputātes vt Chri-
stum lucrificiāt. Sapienter enim pensantes &
prudenter attendentes, quod sufficit diei ma-
litia sua, in tantum de craftino non cogitant,
quòd eleemosynas aliquas à fidelibus non re-
cipiunt, nisi quantum sobriæ vitæ suæ ad ar-
ctam necessitatem possit sufficere. Tribus in
hebdomada diebus carnes, si eis apponantur,
non recusant, in refectorio manducantes, &
in dormitorio quiescētes, & horas canonicas
secundū B. Augustini regulā pariter in Ec-
clesia, in voce exultationis & cōfessionis, Do-
mino concinentes, immolantes Deo sacrifi-
cium laudis, & reddentes altissimo vota sua.
Ipsi autem ex numero scholarium, Bononiæ
causa studij commorantium, in vnum, Do-
mino inspirante, congregati, diuinarum Scri-
pturarum lectiones, vno eorū docente, singu-
lis diebus audiunt: quæ autem diligenter au-
dierint, Summi Pontificis auctoritate, & ex
S. Romanæ Ecclesiæ institutione, Christi fi-
delibus, diebus festis, magna prædicationis &
doctrinæ gratia proponunt. Prædicatorum
ordinem Canonicorum ordini cōiungentes.
Hæc igitur dulcis mixtura bonorum, multos
ad imitandū allicit, prouocat, & accendit, &
dieb⁹ singulis Sancta & honesta Christi scho-
larium congregatio & numero ampliatur, &
charitate dilatatur. Attendentes enim sa-
pienter fortes athletæ IESV CHRISTI,
quòd

quòd nullum sacrificium magis placitum sit Deo, quàm zelus & salus animarum, & quod anima quæ impingat, impinguabitur, sumentes in vasis de optimis terræ fructibus, & ferentes viro munera, aquas suas in plateis diuidunt, & fontes eorum deriuantur foras in agro Domini, fructum centesimum recepturi, vnanimiter laborantes, vt animas peccatorum de faucibus Leuiathan extrahentes, postquam ad scientiam erudierint multos, fulgeant tanquam stellæ in perpetuas æternitates. *Hactenus Vitriacus.*

CAPVT XVI.

ABBATIA S. GENOUEFÆ, OLIM
*extra, nunc intra muros vrbis
Parisiensis.*

SANCTA Genouefa virgo Parisiensis floruit temporibus Valentiniani III. Imp. & Clodouei I. Francorum Regis, obiitque Lutetiæ anno Christi 514.

Cæterùm templum ac cœnobium istud, anno 500. fundauit idem *Clodoueus*, petente *Clotilde* eius coniuge, & *S. Genouefa*: Estque dedicatum à S. Remigio Archiepiscopo Remensi, in honoré Dei & SS. Apostolorum Petri & Pauli. Fuit olim Clericorum seu Canonicorum Sæcularium, quibus amotis, substituti sunt Canonici regulares ab Eugenio III. Pontifice Maximo.

Retro